1438.

Noverint universi, Quod Nos Jacobus Serman presbiter beneficiatus in sede, et Franciscina eius mater uxor quondam Jacobi Serman piscatoris Maioricarum, gratis. Non solo vi vel metu inducti nec in aliquo circumventi, ymo gratis et ex certa sciencia per nos et nostros heredes et successores presentes pariter et futuros, vendimus et titulo vendicionis huiusmodi concedimus et tradimus vobis venerabili domine Johanne uxori quondam Petri [illegible] Vandel notarii publici Maioricarum, relicte vero venerabilis Asberti Maymo mercatoris et civis Maioricarum presenti et vestris successoribus ac quibus volueritis perpetuo, Quoddam hospicium mei dicti Jacobi Serman presbiteri situatum intus presentem Civitatem Maioricarum in quadam transversia exitum habenti parte ex una in quodam vico vulgariter nuncupato den Abayar, et ex parte altera in vico dicto de la Esglesieta del Call. Et tenetur dictum hospicium sub alodio et directo dominio venerabilis Eduardi Dulart [illegible] domicelli Maioricarum, heredis venerabilis Eduardi Dulart civis Maioricarum quondam sui, cum instrumento facto et firmato in posse discreti Gabrielis Marçal senioris notarii publici Maioricarum ad laudimium et faticam et ad censum sexdecim solidorum annuatim solvendorum in festo sancti Andree. Tenetur etiam per venerabilem Huguetum Borrassani civem Maioricarum ad censum sex librarum censualium annuatim solvendarum in festo sancti Bartholomei, ulterius tenetur per venerabilem Petrum Carrerii mercatorem Maioricarum ad censum sexaginta quatuor solidorum censualium quolibet anno solvendorum in festo sancte Catherine, qui possunt redimi et quitari prout in stabilimento inde facto per dictum Petrum Carrerii michi dicto Jacobo Serman presbitero in posse discreti Nicolai Brancha notarii publici Maioricarum sub vicesima prima die mensis Novembris anni proxime preteriti facto et firmato largius continetur. Prout affrontatur dictum hospicium ex una parte cum quodam carrarono transitum non habente qui est et pertinet cuidam hospicio de Abayar, et ex alia parte cum hospicio Johannis Martini mercatoris Maioricarum, et ex alia parte cum hospicio Silvestri Janbert, et ex alia parte cum hospicio Petri Ferrandis [illegible] et ex alia parte cum via seu transversia publica iamque dicta exitum habenti in dictis vias publicas videlicet den Abayar et de la Esglesieta del Call. Predictum itaque hospicium prout superius affrontatur includitur et designatur cum omnibus integritatibus proprietatibus [illegible] tenedonibus parietibus fenestris eloagiis et pertinenciis suis. Et generaliter cum omnibus aliis universis et singulis predicto hospicio de abisso usque ad celum pertinentibus et pertinere debentibus aliquibus iuribus sive modis vobis dicte venerabili domine Johanne presenti et vestris successoribus ac quibus volueritis perpetuo. Vendimus et titulo huiusmodi vendicionis concedimus et tradimus ut superius est dictum, Precio videlicet Quinquaginta librarum monete regalium Maioricarum minutorum scilicet Triginta librarum [illegible] et decem librarum [illegible], quas a vobis habuimus et recepimus numerando voluntati nostre, videlicet in presencia notarii et testium infrascriptorum. Unde renunciantes exceptioni huiusmodi vendicionis per nos vobis sic non facte et precii predicti non numerati et a vobis non habiti et non recepti, et doli mali, et in factum actioni ac legi que subvenit deceptis ultra dimidiam iusti precii. Remittimus et donamus vobis et vestris si quid hec vendicio modo plus valet valebitur dicto precio ante dicto. Constituentes nos predictum hospicium quod vobis sic vendimus [illegible] vestro nomine nostro [illegible] amodo tenere et possidere, donec inde de eadem possessionem apprehenderitis per vos vel vestrum [illegible] potestatem vel aliam quandocunque de iure vel de facto, quam liceat vobis et vestris apprehendere et adhipisci vestra propria auctoritate quandocumque volueritis et acceptam penes vos et vestros licite [illegible] retinere. Et titulo supradicte huiusmodi vendicionis damus et cedimus vobis dicte venerabili domine Johanne presenti et vestris omnia loca et iura nostra, omnesque voces vices rationes et actiones reales et personales utiles mixtas et directas ac etiam rei persecutorias et alias quascumque nobis et nostris in predictis competentes et competituras ac debentes competere quoquomodo. Constituentes etiam vos et vestros in predictis veros dominos et procuratores ut in rem vestram propriam ad agendum videlicet et deffendendum utendum fruendum et exercendum dandum vendendum impignorandum et alias alienandum ac inde faciendum de predicto hospicio, quod vobis sic vendimus vestras et vestrorum omnimodas voluntates, salvo tamen semper in predictis censu [illegible] directo et alodiali dominio laudimio et fatica dicti venerabilis Eduardi Dulart alodiarii predicti et suorum. Promittentes et bona fide convenientes vobis et vestris quod predicta que vobis sic vendimus faciemus vos et vestros semper habere tenere et in pace pare perpetuo possidere ac deffendere in iudicio et extra etiam et ubique contra omnes personas. Et tenemur inde vobis et vestris ac firmiter teneri promittimus de evictione et omni dampno ac etiam interesse litis et extra. Pro quibus omnibus et singulis supradictis sic complendis et firmiter attendendis, obligamus vobis et vestris utriusque nostrum in solidum omnia et singula bona nostra et utriusque nostrum in solidum mobilia et inmobilia ubique sunt presencia et futura. Renunciantes quantum ad hec nove constitutioni et dividendarum actionum beneficiis ac legi et Franquesie Maioricarum de principali primo conveniendo. Et ego dicta Franciscina de iuribus meis primo ad plenum certiorata per notarium infrascriptum Renuncio beneficio Velleyani senatus consulti et iuri ypothecarum mearum. Et auctentice [illegible] mulier. [illegible] Velleyano. Nova [illegible] renunciamus libello oblacionis. Renuncio etiam dilacioni [illegible] dierum [illegible], dacioni [illegible] pignoris ad dictus. Et spacio quatuor mensium quos in Maioricarum conceditur bona mobilia non habentibus, pro immobilibus bonis subhastandis et vendendis. Et omnibus graciis indultis quindaciis privilegiis regiis supersedimentis et elongamentis impetratis seu impetrandis tam a serenissimo domino nostro Rege Aragonum, quam a domina Regina eius consorte, vel ab aliis quibuscumque officialibus hec vel similia potestatem prorogandi habentibus. Et graciis creditorum nostrorum et maioris partis ipsorum in communi [illegible] debiti et minuto personarum. Et bonis ac rebus nostris privilegiatis, et foro meo dicte Franciscine ac privilegio fori. Submittentes me et bona mea foro districtui et iurisdiccioni illius iudicis seu curie [illegible] quem seu quam me pro premissis maluerit convenire in posse cuius promitto ego dicta Franciscina vobis ius facere pro premissis eorum iurisdictione in me prorogando et conservando. Actum est hoc in Civitate Maioricarum die sabbati vicesima secunda mensis Marcii anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo octavo. S+num nostri Jacobi Serman presbiteri et Franciscine eius matris venditorum predictorum, Qui hec laudamus concedimus et firmamus.

Testes huius rei sunt Jacobus Salva textor lini et Raffael Soler mercator cives Maioricarum.

Signum mei Gabrielis Marsal iunioris auctoritate regia notarii publici Maioricarum et per totum Cathalonie principatum, Qui hec scripsi et manu mea clausi.